Eruat veritatem veritas.

Pro Reg. Duc. Oeconomatu, eiusque Iurisdictione occasione appræhensionis beneficiorum vacantium ob mortem Eminentiss. Cardinalis Burghesij.

EA est humani ingenij conditio, ut non solum dubia, verum certa, & indubitata, in controuersiam reuocet; quod Iustinianus profitetur in authen. de tabell. §. & non fingantur, vbi sollicite hæsitationi hoc acceptum facit, ideo non est mirum, si Magistratui Oeconomali tamdiu oppugnato idem in præsentiarum eueniat, cuius controuersiæ originem, & progressum summatim quam fieri poterit, referam nam ex eius cognitione, iuris dispositio profluet.

Appræhensa, ut moris est, per Reg. Oeconomū possessione bonorum Ecclesiasticorum ob mortem Eminentiß. Cardinalis Burghesij vacantium asserti negotiorum gestores illius hæredū Sen. Excell. significarunt portionem fructuum spectantium ad successores retineri sub sequestro:

Supplicantes vt mandare dignaretur dicto Reuerendo Oeconomo, vt eisdem ea relaxaret preces ad Fiscum remisse fuere, qui iustæ petitioni annuit, & eius suffragium probatum fuit à Senatu, qui preces remisit ad Reuerendum Oeconomum, vt portionem fructuum ad hæredes prædictos spectantium ipsis iuxta petita relaxaret qui executioni mittendū Senatus Consultum ordinauit declarando mentis suæ non fuisse, nec esse manum apponere dictis fructibus, ideoque relaxandos esse, & relaxari debere pro vt iuris; vigore huius ordinationis prædicti Agentes exigere curarunt fructus pro ea parte, pro qua expectare ad successores dicti Eminentiß. contendebant, cui exactioni indifinite Oeconomus pro munere officij sui se opposuit rationibus infra dicendis qua opposi-

tione cognita, agentes prædicti omisso iudicio Regij Oeconomi à Prætore Mediolani præcepta executiua obtinuere contra conductores, & reddituarios dictorũ bonorum turbando iurisdictionem Oeconomi, qui certiorati de iuribus, & auctoritate Reg. Oeconomi, nihilominus eis sibi licere coram quocumque iudice agere, & Oeconomi sequestrum subuertere contendebant, sed commonefactus Prætor ab vlteriori processu abstinuit, hoc medio tempore compertum fuit Regio Oeconomo fundos, & rerum substantiam deterioratam fuisse ab administratoribus beneficij ideo per peritum legitimæ deputatum damna æstimari fecit, huius æstimationis occasione plura, tùm priuatim, tùm publicè agentes prædicti musitabant, & iterum recursum habuere ad Senatum, quo pendente in Castro Portæ Iouis Fiscus eos coegit, vt cognita vtriusque partis mente res quietè, vt decet diffiniretur, & in eam itum est sententiam, vt omnium emergentium relatio transmitteretur ad Senatum, vt ea, quæ iuris essent decernere vellet, verùm dùm relatio exararetur iterùm agentes (parùm in hoc constantes) præcepta executiua obtinuere, ab Execut. Cam. de quo coram Senatu Fiscus conquestus est, tum quia à conuentis defecerant, tum quia Oeconomi iurisdictionẽ iterùm vulnerare curabant qui diẽ Lunæ proxime sequentem futuræ relationi faciendæ, audito Fisco, indixit, interim iussu Suæ Celsitudinis ad priuatum selectorum virorum consilium omnia remissa fuere.

Tria sunt, quæ controuertuntur primum vtrum Oeconomus Regius habeat iurisdictionem, secundum an iusta causa motus ad effectualem relaxationem non deuenerit. Supremum, an vti possit retentione pro damnis datis.

Quo ad primum, Oeconomum Regium habere iurisdictionem probatur confessione Ecclesiasticorum, re de recenti iudicata, & pluribus argumentis intrinsecis, & extrinsecis, confessio Ecclesiasticorum resultat ex obiectionibus, & querelis iterato contra hunc Magistratum ex parte aliquorum Prælatorum Mediolanensium datis, & præsentatis summis Pontificibus Clementi VIII. Paulo V., & Sanctitati D. Nostri Vrbani nunc viuentis, quarum querelarum tertia in publicum Tribunal Oeconomi occasione controuersiarum incidentium, & emergentium erectum dirigitur cui oppositioni ex parte S. M. responsum fuit non posse exerceri officium Oeconomatus, ni necessariam cognitionem, & coer-

citionem

citione habeat, aliter conclamatū esse de officio ipso nam, & quid, metaphysicum esset, & solo nomine constaret; res iudicata Senatus consulto in hac eadem controuersia emanato probatur, nam eidem Oeconomo remittuntur preces vt iuxta naturam officij sui decernat reuocando sequestrum ab ipsomet factum pro rata portionis spectantis ad hæredes vltimi beneficiati, quæ absque causæ cognitione expediri non possunt; super quo Oeconomus fundatam habet intentionem in diplomate, & mandato regio, ex quo concessa videtur authoritas iudicandi [1] quia sub nomine officij erectum fuit hoc munus quod verbum propriè loquentibus iurisdictionem importat, & sub nomine Magistratus, [2] vt, & eum compellat Ripamontius accuratus historiæ Ecclesiasticæ Mediolanensis scriptor libro 18. fol. mihi 1147. vbi ait inter alios Regios Magistratus annumerari regioque nomine auctorem fieri ælectionibus; quod summopere notandum est, quia nulli alij præter locumtenenti; & Senatui, licet sub regio nomine loqui, at Oeconomus quasi prorex in hac parte ex inueterato stylo, & concepta formula regio nomine præmisso loquitur sed vt ipsemet Ripamontius fatetur nomen, & potestas Oeconomi exortis controuersijs maiore, aut minore iure constitit, quam hodie habeatur, nam temporibus Philippi Mariæ Vicecomitis tantæ auctoritatis fuit hæc dignitas vt Todeschinus, vel vti Pontifex in Vrbe Mediolani quo ad beneficialia haberetur, vt testatur Petrus Candidus Decembrius diligentissimus scriptor in vita eiusdem Ducis cap. 33. quod, & argumentatur ex dignitate personarum, quæ hoc Magistratum exercuere, nam aliquando Duces ipsi deinde Reges, vel duo ex Senatoribus præfecti fuere rebus beneficialibus, deinde regij Consiliarij, & alij in dignitate constituti, prout Reuerendiss. Picenardus, Episcopus idemq; Senator Costachiara, ijdemque locumtenentes regij, quod, & regijs litteris cautur nec verisimile est his viris nudum negotium, & mæcanicam administrationem tāquam priuatis cōmissam fuisse, nec ea commissa, eos eam exercere voluisse, & cum Oeconomus causa tuendi, & vindicandi bona Ecclesiastica ab iniurijs, & vsurpationibus constitutus, & erectus fuerit, & Principis personam in hac parte sustineat, & rappresentet nulli dubium est, quin ex dignitate, & necessitate, ei iurisdictio competat, cum alias officium

[1] Farin. lib. 1. consil. 76 num. 2.

[2] Dec. cons. 40. Ramon cons. 35. n. 2. l. 2. de orig iuris l. 56. de verb. sign Mastril. de Magistr. in præludio.

3 suspitionis 39. de off. potest. Iud. del. l. fin. off. eius. l. 2. de iurisd.

exercere non possit ex vulgatis iuribus, [3] quid enim Statueret Oeconomus in renitentem colonum, in sacrilegum deprædatorem, in exterum, & diffidentem electum, in quibus casibus auctoritate, iurisdictione potestate, & imperio opus est, fateri igitur cogimur vel ipsum à se hæc gerere posse, vel alterius Magistratus auxilium implorasse, quod, & inconueniens est, & repugnat, nam cum Oeconomus vices Principis gerat, ad quem recursum habere poterit, nisi ad ipsummet Principem, præterea si absque hac auctoritate officium exerceri non potest, & ipse, vt aduersarij contendunt, eam non habet, necesse est vt Princeps, penes quem residet omnis authoritas, alicui eam demandauerit seu delegauerit, sed nulli præter Oeconomo concessa reperitur, ergo ad eum spectat auctoritas potestas, et iurisdictio necessaria hoc ex facto ipso comprobatur quia nullibi, nec vsquam temporum (quod Fiscus sciat) Oeconomus regius coram aliquo iudice comparuit, nec aliquod aliud actū fecit, ex quo ipsū iurisdictione carere probari possit, & priuati tantum hominis partes in re Oeconomali sustinere, quod pars aduersa probare deberet imo potius fidens animi Fisci patronus, (si hoc ei liceret) causæ ex nunc renunciasset, si vel de vnico tantum actu facto ab Oeconomis coram alijs Iudicibus fides legalis exhibeatur, cùm è contrario lipis, & tonsoribus pateat Oeconomum, & possessionem à se auctoritate propria officij appræhendere, sequestra relaxare, citationes edicta proponere, & præceptis pænalibus ea stabilire contumacesque compellere, auditorem, Fiscalem, & satellites habuisse, & perplura alia, qua absq; iurisdictione, et Imperio fieri non possunt exercuisse, & exercere quoties occasio se obtulit, vt constat ex sequentibus actis qui ex innumeris exempli gratia exhibentur.

Primo ex formulario antiquo Ducum, & Regum Galliæ in quo hæc leguntur verba. & ad compellendos omnes, & singulos &c. plenā concedimus, & tribuimus facultatem bailiam, Mandantes omnibus officialibus. *In Formula tituli Oeconomorum, & Subeconomorum.*

Secundo ordinatio Senatus Excellentiss. anni 1511. *Nouembris* 15. *ad preces Bernardini de Cesate, in qua* Iconomum ad partem admonendum, vt non molestent dictum Bernardinum, ælectum, censuit.

Tertio decretum Senatus anni 1512. *Ianuarij* 15. *in quo remittitur ei exc-*

executio sententiæ latæ in possessorio Præpositura S. Spiritus inter Gabrielem Varisium ex vna parte, et Præpositum de Crema ex alia.

Quarto Deputatio Francisci Sfortiæ facta in Octauianum Picenardum cum facultate exigendi fructus benefitiorum suorum Rauennium ad Fisci comodum.

Quinto quia Oeconomum habere Fiscum, & nuntium, suum cursorem, & auditorem I.C. constat ex actu num. 13. & ex edictis promulgatis ab Oeconomis regijs signanter per Reuer. Patanellam, in quibus sic legitur Vidit Io. Antonius Carpanus Auditor Reuer. Oeconomi, *& in alijs edictis promulgatis anno* 1548. Hyeronimus Torchius Auditor Reuerendiss. Oeconomi vidit.

Sexto edicta perplura vulgata per regios Oeconomos comminata pæna pecuniaria applicanda Cameræ Cesareæ, Ducali, vel Reg per tempora.

Septimo deputatio Notariorum.

Octauo apprehensio Episcopatus Cremonæ anni 1510. *Septembris* 7. *vbi legutur inhibitiones, præcepta, et alia acta iurisdictionalia.*

Nono ordinatio Senatus anni 1517. *Aprilis* 24. *inherẽdo deputationi factæ ab Oeconomo agrimensoris.*

Decimo decretum anni 1517. *Maij* 16. *super precibus Antonij de Busto, vt facto deposito sumat informationes damnorum datorũ, & deteriorationis.*

Vndecimo ordo pro sequestratione redituum Abbatiæ de Terzago, vt ex fructibus reficeretur conuentus S. Spiritus, à Gallis destructus anno 1514. *Maij* 20.

Duodecimo sententia lata per Oeconomum Ferrarium inter partes occasione controuersiæ ortæ super scortis massaritijs post mortem Reuer. Episcopi Vigleuanensis Mauritij Petræ signat. num. 1.

Decimotertio præceptum pænale contra Præpositum Ripaltæ Oeconomo Turriano signat. num. 2.

Decimoquarto sententia lata in possessorio fauore Reuer. Vazalupi contra Reuer. Michaelem Zauatarellũ Oeconomo Reuer. Episcopo Costachiara signat. num. 3. *& num.* 12.

Decimoquinto sequestrum fructuum spectantium ad hæredes q. Reuer. Iacobi Antonij de Cazulis Theologi in loco Carauagij Sub-

œconomo Reuer. Io. Clemente Schizo num. 4. & num. 7.

Decimosextò. Iussio, & præceptum factum colonis bonorum spectantium ad heredes Reuer. Seraphini de Comite beneficiati S. Iob, & Iosephi in loco Conturbij, vt solueret reditus decursos in manibus Reuer. Oeconomi Turriani num. 5.

Decimoseptimo. Præceptum executiuum concessum contra Carolum de Luraghis colonum bonorum spectantium ad beneficiatum S. Martini Rubei num. 6.

Decimooctauo. Litteræ Io. Baptistæ Burri Physici, qui medelā præstitit Reuer. Episcopo Mauritio Petræ ex quibus constat Vicarium Episcopalem, & Præpositum supersedisse ab executione ob inhibitionem factam à Reuer. Oeconomo nu. 9. quæ corroboratur ex alijs litteris commendatitijs num. 8.

Decimonono. Præceptum pœnale comminata executione emanatum contra colonos, & condutores bonorum beneficij S. Ioannis ab Oeconomo Turriano num. 10.

Vigesimo. Comparitio facta in termino præcepti per Reu. Ciprianum Taxillum molestatum, quia absque placito in executione literarum transmissarum ab Vrbe Romæ possessionem beneficij sine assensu continuauerit, & ex ordinatione sequuta Oeconomo Reuer. Costachiara, in qua præstita fideiussione de stādo, & parendo iuri & se consignando in fortijs dicti Oeconomi censet supersedendū esse à processu fabricato contra dictum Reueren. Ciprianum vt num. 11. qui deinde placitum iudicialiter obtinuit, vt ex ordinatione num. 20.

Vigesimoprimo. Præceptum pænale instāte Fisco Oeconomali ad subijciendum examini, & standum, & parendum mandatis cum relatione intimationis Oeconomo Reuer. Costachiara num. 13.

Vigesimosecundò, Literæ Subœconomi Bobiensis Bartolomei Cigalæ, in quibus plures ennuntiantur actus iurisdictionales; & de manu Oeconomi hæredes beneficiatorum defunctorum fructus accipere probatur concorditer cum alijs pluribus actis, num. 14.

Vigesimotertio. Præceptum ad allegandum contra Parochum loci Machi sub quo legitur hoc decretum 1615. Maij 20. attento deposito supersedeatur, & pro præteritis; & si le farà spedir il placet, mandando la bolla subscriptum Rubeus Cancellarius num. 15.

Vigesimoquarto præceptum penale transmissum Reuer. Bartolomeo Georgio effectus, vt omnes scripturas instrumenta, & iura, ius, & interesse concernentia mensæ Episcopalis Laudæ vacantis ob obitum Illustriß. Scarampi consignet Subæconomo Ferrario, Oeconomo Reuer. Duarte num. 17.

Vigesimoquinto comminatio præcepti executiui contra conductores bonorum Episcopatus Vigleuanensis Oeconomo Turriano num. 18.

Vigesimosexto citatio ad videndum condemnari contra Reuer. Bernardum Tornotum, eo quia absque placito Rectoriæ Parochialis S. Michaelis extra mœnia Nouariæ possessionem fuerit ingressus, Oeconomo Turriano num. 19.

Vigesimoseptimo notula declarationis factæ per Reuer. Turrianum in Reuer. Cosmum Episcopum Derthonæ, & hæredes Reuer. Gambaræ, signat. num. 21.

Vigesimo octauo delegatio facta à Io. Ambrosio Ferrario locutenente Generali D. Io. Duarte Oeconomi Generalis absentis in Iuliũ Paulum Toscanum Vic. Generalem Vigleuani ad sumendas informationes testesquè examinandos super capitulis, & Chirographis nonnullis per quosdam fictabiles mensæ Episcopalis Vigleuani exhibitis in causa pendente coram ipso Viceæconomo inter ipsos fictabiles ex vna, & Præpositum Vigleuani tanquam erogatariũ q. Reuerendiß. D. Mauritij Petræ Episcopi Vigleuani, & Magnificum Cyrum Petram à prædicto D. Episcopo hæredem institurum, & consortes ex alia, cum transmissione dictorum capitulorum, & Chyrographorum sub die 6. Februarij 1577. & ex remissione ipsorum informationum per dictum Delegatum assumptarum die 11. Martij eiusdem anni subscriptum Iulius Paulus Toscanus Vicarius, & delegatus, à tergo M. Magnifico, & Reuer. D. meo Colendiß. D. Io. Ambrosio Ferrario Præposito I.V.D. ac locumtenenti Generali M. Ill. D. Io. Duarte Oeconomi Generalis Status Mediolani, & sigilat. &c.

Vigesimonono sententia per dictum Ferrarium locum tenentem pro tribunali sedentem lata in dicta causa, qua declarat, & ordinat omnia bona mobilia, & domus vtensilia, ac pecunias, & alias res per dictum D. Mauritium Petram olim Episcopum Vigleuani relicta, & in inuentario per erogatarios confecto contenta, &

instrumenta, scripturas, & pecunias, quæ, & quas consignari mandauit Subæconomo Vigleuani, relaxanda esse, & relaxari debere, & pro vt ea, & eas relaxari mandauit Magnifico D. Cyro hæredi, attenta promissione, & fideiussione per ipsum præstita, qua non obstante, nec ab illa recedendo ordinat, quod teneatur, debeat ipse hæres in actu ipsius relaxationis dare idoneam fideiussionem etiam ex forma depositi de restituendo supradictis fictabilibus libras 1500. 14. illarum confessionum, & Chyrographorum per eos dicto q. D. Episcopo solutas, saluis tamen in reliquis iuribus prædictarum partium, & mensæ Episcopalis Vigleuani, & aliorum quorum interest, reseruato sibi iure super eis declarandi si, & pro vt iuris fuerit.

Trigesimo præceptum factum per D. Episcopum Costachiarā Oeconomum Generalem Reuer. D. Pompeo Paterio, quo pro sui officij Oeconomatus interesse ex puro, & mero officio, & instante Fisco dicti officij, & deputatis Venerandi Collegij Taegiorum Mediolani citat, requirit, & monet dictum Paterium, vt infrà vnum diem post intimationem compareat sub pœna quinquecentum aureorum pro medietate apostolicæ, & Duc. Cameris applicandorum, & in subsidium excommunicationis ad se subijciendum examini, & audiendū ea, quæ illi iniungere voluerit, assignādo illi pro domicilio valuas Ecclesiæ Scalensis, quando aliud non eligat in Ciuitate, vbi citabitur, vsque ad sententiam, & finalem decisionem Dat. 19. Aprilis 1586. intimatum per Ambrosium ab Ecclesia nuntium prædicti D. Oeconomi die 21. eiusdem mensis.

Trigesimoprimo sequestrum emanatum ex officio Iulio Turriano Oeconomo quo præcipitur Baptistæ, & Francisco fratribus de Ferrarijs, & Reuer. Presbytero Io. Baptistæ Scarauagio Archipresbitero Fornouij sub pœnis iuris, & de proprio soluendi, ac excommunicationis in subsidium, ac refectionis damnorum debeant penes se tenere, saluare, & custodire omnem, & quācumque pecuniarum, ac rerum, & grani cuiuslibet quantitatem debitam, & in futurum debendam præbendæ Theologali Ecclesiæ Collegiatæ Carauagij, & nulli sine licentia dicti Oeconomi dare. Dat. mense Augusti die 26. 1615. intimatum die 19. mensis Septembris eiusdem anni.

Huiusmodi reperiuntur innumera sequestra inter huius officij acta

emanata

emanata temporibus diuersorum Oeconomorum, & à præsenti Oeconomo ex ordine Suæ Celsitudinis, & etiam ex officio sunt quamplurima transmissa diuersis Fictabilibus, & personis.

Trigesimosecundo comparitio facta coram dicto D. Episcopo Costechiara Oeconomo per Presbyterum Stephanum Bazzicalupum Canonicum in Cathedrali Bobij sub die 7. Nouembris 1586. in qua pro executione ordinationis factam per ipsum Oeconomum sub die 23. mensis Octobris eiusdem anni super alia comparitione eiusdem comparentis die 22. eiusdem mensis producit, & exhibet, ac dimittit iura, & instrumenta diuersa ad peobandam consuetudinem optionis in dicta Ecclesia Bobij, & proinde petit nullam molestiam, nec impedimentũ ipsi cõparenti inferri, super quæ dictus D. Oeconomus, visis videndis, & consideratis considerandis, sequendo formam suæ ordinationis in hac causa factæ ordinauit dictum Reuer. D. Bazzicalupum manutenendum, & conseruandum esse in possessione dictæ Canonicalis præbendæ in dicta Cathedrali per eum iam adeptæ vigore optionis, & bene placiti eidem concessi, committendo D. Subæconomo dictæ Ciuitatis vt ita exequatur, & exequi faciat, quo ad reliquas verò prætensiones, & iura dictarum ambarum partium super eiusmodi causa eas remisit ad suos Iudices competentes vt complementum iustitiæ consequi valerent die 8. Nouembris 1586. signat. Petrus Episcopus Costachiarius Oeconomus Generalis, Alexander Lemugius Notarius, & Cancellarius.

Trigesimotertio sequestrum factum per Reuer. Ioannem Clementem Schitium primicerium, & subæconomum Cremonæ Io. Baptistæ Scarauagio Archipresbytero Fornouij Diæc. Cremonẽsis vt sub pœnis iuris, & de proprio reficiẽdi, & excõmunicationis in subsidiũ, & refectionis damnorum velit, & debeat penes se habere retinere, & saluare omnem, & quamcumque pecuniarum, rerum, robbarum, & granorum quantitatem debitam, & in futurum debendam, & spectantem ad hæredes q. M. Reuer. D. Iacobi Antonij de Cazulis olim Theologi in loco Carauagij Diæc. Cremonensis debitores beneficij seù eius officij Oeconomiæ pro fructibus altaris S. Antonij de Padua in Ecclesia Sanctorum Firmi, & Rustici dicti loci, et nemini sine licentia dicti subæconomi relaxare intimatum fuit die 8. Augusti 1615.

Trigesimoquarto præceptum emanatum tempore supradicti D. Turriani Oeconomi sub die 5. Nouembris 1616. contra Petrum Torniellum, effectus, Ut termino tridui post intimationē compareat ad dādū, & soluēdū in manibus ipsius Oeconomi annua ficta, & appendicia penes eum existentia, & debita capellis SS. Giob, & Ioseph, & Annunciationis B.M.V. loci Conturbij tam maturata tàm antè, quā post mortem q. Multū Reu. Seraphini de Comitibus illarum vltimi, & immediati, dum viueret, possessoris, & Capellani, ad effectum illa disponendi pro vt de iure subscript. Iulius Turrianus Oeconomus, Franciscus Braga Cancellarius &c. intimatum fuit 13. Martij 1616.

Trigesimoquinto. Præceptum executiuum tempore eiusdem Oeconomi sub die 15. Aprilis 1613. contra Carolum de Luraghis fictabilē Ecclesiæ, seù beneficij Ecclesiastici S. Martini Rubei nūcupati loci Comatij Laudensis Diœc. cōmittendo iure, & pro debito ipsius sui Oeconomalis officij cuicūque publico nuntio, & seruitori, vt ex eius parte, et præcepto vadat vnà cum familia opportuna, consuleque loci, & alijs si opportuerit personis opportunis ad omnes partes necessarias ad robandum, et per vim auferendum, & exportandū de bonis, rebus, & pecunijs illius pro summa librarum 1200. imper. & cum reseruatione agendi contra fideiussores eorumque hæredes, & alias quascunque personas, & bona obligatas, & obligata de quibus restat debitor ipsius beneficij causa, & occasione fictorum decursorum, ac debitorum iuxta sui recognitionem versus ipsum Oeconomum factam. Item pro omnibus expensis, & damnis &c. succedente proinde pœna comminata executionis realis, & personalis de more officij Oeconomalis prædicti proindeque vadat dictus quicumque seruitor vt supra ad capiendum, & personaliter detinendum ipsum debitorem, captumquè, & detentum consignandum ipsi Reuerendissimo Oeconomo in Ciuitate Mediolani, vel Ill. & M. Reuer. D. Subœconomo in Ciuitate Laudæ illic viciniori, mox in ijs carceribus constituendum, quos ipsi, vel alter eorum iusserint, & ad præcipiendum proindè ipsi custodi carcerum non relaxet ipsum sic detentum nisi cum speciali decreto in scriptis dictorum Reuerendiss. Oeconomi, vel admodum Reuer. D. Subœconomi sub pœna scutorum tercentum auri pro dimidia locis pijs arbitrio ipsius Oeconomi, & pro altera dimidia Reg. Duc. Cam. Mediolani applicandorum, ac pro eis

mandati

mandati executiui, & excommunicationis in iuris subsidium signat. Franciscus Braga Cancellarius &c.

Trigesimosexto comparitio coram supradicto D. Episcopo Costecciario facta sub die 15. Februarij 1587. per Reuer. Antonium de Gusijs procuratorio nomine Reuer. Presbyteri Cipriani Tadilli, & præsentatione mandati de manutenendo, et defendendo in possessione Parochialis Ecclesiæ de Guenzate eidem concessi petendo à prædicto Oeconomo opportunas litteras beneplacitorias exequendi dictum mandatum, super quibus præfatus Oeconomus censuit concedendum esse beneplacitum in forma facto tamen prius præcepto in faciem dicto Tadillo ne quid de facto tentare audeat, sed seruatis seruandis ipsum beneplacitum executioni demandari studeat, quod si in aliquo occurreret ei prouisione sua indigere recurreret ad eum, qui pro posse suo complementum iustitiæ se ministraturum ei pollicetur.

Trigesimoseptimo cōparitio corā prædicto D. Episcopo Costecciario die 21. Februarij 1577. facta per eundum Reuer. Presbyterum de Busijs procuratorio nomine etiam dicti Tadilli Rectoris Ecclesiæ Parochialis loci de Guenzate causa, & occasione molestiæ, qua prædictos Tadillus coram præfato Oeconomo vexabatur eo, quod in executione mandati de manutenendo relaxati in vrbe Roma continuauerit possessionem dictæ Parochialis absque eo quod prius debitum beneplacitum sumpserit à prædicto Oeconomo, in qua dicit, & protestatur se ea nolle vti, & ex tunc vti facta de facto renuntiare eaque superinde facta annullare, & reuocare, nulliusque valoris, & effectus esse velle, super quam comparitionem dictus Oeconomus ordinauit supersedendum ab omni molestia contra dictum Reuer. Tadillum, & alios culpabiles, præstita tamen prius per dictum de Busijs comparentem vt supra tanquam culpabilem, & querelatum dicta de causa ad officium Oeconomatus, pro vt in actis idonea fideiussione in manibus Cancellarij officij de stādo, & parendo iuri, & iudicatū soluendo, & de se consignādo in fortijs officij toties quoties, et ità exequi mandauit &c.

Trigesimo octauo præceptum emanatum tempore Iulij Turiani Oeconomi die 9. Decembris 1620. contra Presbyterum Bernardinum Tornotum Rectorem Ecclesiæ S. Michaelis extra muros Nouariæ, & ex eius officio ad allegandū quare condemnari nō

debeat

debeat in pœnam aureorum trecentum, & excommunicationis in iuris subsidium comminatam ex edictis, & ordinibus officij Oeconomalis Status Mediolani, eo quod sine beneplacito ipsius Oeconomi ausus fuerit appræhendere possessionem dictæ Ecclesiæ, & ad eligendum habitaculum in Ciuitate Mediolani, alioquin citabitur ad valuas Ecclesiæ Scalensis, & hoc saluo iure procedendi contra Notarium de tali appræhensione rogatum ad alias pœnas, & etiam ad personalem detentionem, intimatum fuit 28. eiusdem mensis.

Trigesimonono instrumentum confessionis factum per Oeconomum Turrianum de libris 7500. imper. ad fauorem Io. Baptista Prandoni vti fideiussoris q. Alexandri Rotij, & Io. Iacobi Maltaiati tanquam fictabilium bonorum, & mensæ Episcopalis Vigleuani vacantis rogatum per Io. Franciscũ Rubeum Notarium Mediolani die 28. Aprilis 1610.

Quadragesimo litteræ Oeconomi, ad Subœconomũ effectus, vt post obitum Episcopi faciat se recognosci à fictabilibus, & debitoribus mensæ Episcopalis exigendo fructus, & ficta, & adhibendo curam, vt possint heredibus prædefuncti Episcopi, vel successori tradi, & describendo mobilia, & alia relicta per dictum Episcopũ, ac inuigilando super ijs, qui possessionẽ beneficiorum absque debito beneplacito appræhenduntur die 12. Martij 1625.

Quadragesimoprimo relatio facta 4. Decembris 1610. per Oeconomũ Turrianum Suæ Excellentiæ, & supremo consilio Secretiori super controuersia Illustriß. & Reuerendissimi D. Cardinalis Borromei, & aliarum rerum, & præcipuè super consuetudine, stylo appræhendendi possessionem beneficiorum vacantium, & exigendi fructus eorum, ex officio, ac etiam super querimonia facta ab eodem Eminentiß. Cardinali apud Suam Sanctitatem, & Maiestatem Suam de ipso Oeconomo, dicitq; sperare se satisfacturum Suæ Catholicæ Maiestati, pro vt satisfecit Suæ Sanctitati.

Quadragesimosecundo preces Reuer. Petrini Costæ loci S. Damiani Dominij Montisferrati prouisi de Parochiali loci de Quatuordio Comitatus Alexandriæ porrect. Excellentiß. Gubernatori Mediolani ad obtinendum Placet, & ab eodem D. Gubernatore sub die 27. Maij 1625. remissæ Oeconomo Generali cum hoc decreto. Monsig. Economo General e proueda come le parerà cõueniente. *Subscript. Cattaneus.*

Quadra-

Quadragesimotertio. Instrumentum procuræ factũ per Reuerendum D. Olindum Blancum in D. Iacobum de Azate nobilem Laudensem ad effectum, vt compareat coram Reuerendissimo Oeconomo ad instandum, nè alicui beneplacitum concedat ad beneficium clericatus nuncupatum, in cuius quieta, & pacifica possessione ipse D. Blancus reperitur, rogatũ per Aurelium Rubeum Laudensem Notariũ, & Cancellarium Episcopalem de anno 1625. die 6. Octobris.

Quadragesimoquarto. Præceptum Oeconomi Turriani transmissum ad Reuerendum Curatum loci Mosij effectus, vt compareat coram eo ad allegandum, quare condemnari non debeat in pœnam aureorum tercentum, & excommunicationis in iuris subsidium comminatam in edictis officij Oeconomalis Status Mediolani eo quia apprehenderit possessionem Curæ dicti loci sine debito beneplacito, & ad videndum per præf. Oeconomum condemnari, & præceptum executiuum contra eum concedi, & ad eligendum habitaculum in hac Ciuitate, vbi possit etiam peremptoriè citari. Dat. die 11. Maij 1615.

Quadragesimoquinto. Cõparitio coram Oeconomo Costaciario facta sub die 7. mensis Aprilis 1582. per Reu. Fabritium Castrofrancum nomine Reuer. Cipriani Tarilli ad effectum obtinendi beneplacitum ad continuationem, & manutentionem possessionis Parochialis Ecclesiæ de Guanzate, & ad reuocandum omnia facta, & executa sine dicto beneplacito Oeconomi, ad quod obtinendum præsentauit precatorias litteras legati septem Cantonum Helueticorum Catholicorum die 4. Februarij eiusdem anni postulantis, & precantis, vt ipsi Tarillo concederetur dictum beneplacitum, & insuper ne molestarentur quidam ex Heluetiorum Subditis, qui bona intentione, & non animo Reg. Oeconomalem iurisdictionem offendendi interfuerunt possessioni appræhensæ per dictum Tarillum dictæ Parochialis sine beneplacito &c.

Quadragesimosexto. Relaxũ ab Oeconomo transmissum pro interesse Officij sui Oeconomatus Hieronimo de Scaualijs, vt statim relaxet omnia, & quæcumque pignora pænes eum existentia, & Francisco, Io. Petro, & Io. Baptistæ fratribus de Boterijs, derobata Io. Baptistæ Baroffio pro interesse officij Oeconomatus, attento quod constabat de debito dictorum fratrum versus dictum Ba-

roffium

roffium sub pœnis in eo contentis &c. die 20. *Maij* 1615.

Quadragesimoseptimo. Litteræ Fräcisci Berri transmissæ ad Oeconomum Turrianum postulantis, & deprecantis, ut imponat Subœconomo Alexandriæ, quod restituat prædicto Verro fructus, & redditus Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ Solerij Patronatus familiæ Galliæ, quos fructus dictus Subœconomus pœnes se habebat, dum lis inter ipsum Verrum, & alios pendebat, cuius verba sunt eiusmodi. E dicendomi il Sig. Vicario Episcopale presente di non hauere giurisdittione sopra detto Sig. Subeconomo, quanto à questo particolare mi vogliono far consumar altretanto in noua lite contro ogni douere, e non è possibile per altra strada li possi recuperare, V.S. Reuerendiss. vede l'ingiustitie mi sono fatte, è però come amoreuoliss. e giustiss. che lo conosco, confido mi fauorirà, & agiutarà, e se non mi vorrà far gratia della decima in tutto, che pretende detto Subeconomo almeno in parte si cõpiacerà hauere riguardo alle molte spese fatte nella lite. Dat. 15. Giugno 1618.

Quadragesimo octauo. Litteræ Oeconomi Turriani ad Subœconomũ Vigleuani, in quibus inter alia dicit. Vedrà V.S. l'inclusa lettera, proueda, che de frutti inesatti vecchi ancora non si paghi vn reale à chi si sia, perche niuno se ne può intromettere fuori di me, & si daranno poi à chi si spetta, tanto più che alcuni de pensionarij sono creditori di più termini auanti la morte di Monsignor Vescouo di buona memoria Dat. à 5. Agosto 1620.

Quadragesimonono. Instrumẽtum appræhensionis Ecclesiæ Præposituralis SS. Petri, & Pauli de Monforte nuncupatum per Oeconomum Turrianum die 3. *Decembris* 1615. *rogatum per Franciscum Bragam Cancellarium officij Oeconomatus.*

Quinquagesimo. Præceptum Iulij Turriani Oeconomi transmissum Reuerendo Præposito de Ripalta Cremonensis Diocesis, eo quod se intromiserit in exactione, seù sequestratione fructuum Capellæ seù Capellaniæ Sancti Antonij de Padua in Ecclesia Sanctorum Firmi, & Rustici de Carauagio, volueritquè etiam possessionem dictæ Capellaniæ iamdiù vacantis apprahendere certam portionem fructuum spectantem ad hæredes q. Reuerendi Iacobi

Antonij

Antonij Cazuli nomine officij Oeconomatus deputati ad exactionem fructuum dictæ Capellæ sequestrari fecerit, ac prohibere ne dicti hæredes dicto Oeconomo, vel Subæconomo de exactis rationem redderent, proinde volens indemnitati sui officij prouidere præcipiendo mandat, ac inhibet quatenus sub pæna scutorum mille auri debeat omnino cessare à quolibet actu &c. & reuocare quæcumque acta superinde facta sub pænis &c.

Quinquagesimoprimo. Præceptum Io. Ambrosij Ferrarij Locumtenētis Oeconomi Generalis emanatum ad instantiam Fisci contra Magnificum D. Bernardū Georgium, vt consignare debeat omnia, & quæcumque iura scripturas, & instrumenta, ius, & interesse mensæ Episcopalis Laudensis, & dicti Episcopatus concernentia, & penes eum existentia D. Francisco Rizzolo Canonico Laudensi, & in dicta Diœcesi Subæconomo sub pæna scutorum mille die 3. Augusti 1576.

Quinquagesimosecundo. Præceptum transmissum fictabilibus, & alijs debitoribus mensæ Episcopalis Vigleuani ad effectum soluendi omnes summas dictæ mensæ debitas etiam pro tempore annorum præteritorum sub pæna executionis, & alijs. Die 5. Augusti 1620. signat. Turrianus.

Quinquagesimotertio. Arbitramentum inter huius officij acta repertum, propriaq; manu prædicti D. Oeconomi Turriani scriptum super ijs, quæ inter Reuerendissimum D. Cosmum tunc Episcopum Derthonæ, & hæredes Reuerendissimi Comitis Maphæi Gambaræ Episcopi præcessoris controuertebantur, in quo arbitramentando decernit, quid quælibet predictarum partium præcipere deberet ex fructibus, & fictis anni 1611. exactis, & non exactis, maturis, & non maturis, & ex creditis veteribus, & non solutis laudemij, aut alia quauis de causa resultantibus, ac etiam ex mobilibus in Palatio Episcopali, & in Starnazano inuentis, item ex paramentis, & ornamentis Eclesiaticis, tam in priuato sacello domus Episcopalis, quam penes aliquos ex canonicis cathedralis repertis, insuper ex scortis, massaritijs, & subuentionibus à prædefuncto Episcopo, massarijs, & colonis datis, & commodatis, & denique ex omni eo quod ratione impensarum tam circa bona, & prædia Episcopatus, quam alia de causa à prædicto Episcopo factarum. in reliquis, quæ controuerti poterant inter ipsas partes, easq; hinc inde absoluendo perpetuum silentium imponit.

Quinqua-

Quinquagesimoquarto. Ex litteris tunc Illustriß. Cardinalis Guastauillani de mente Sanctiß. Gregorij XIII. scriptis Oeconomo Costachiario, effectus vt parceret nonnullis, qui regium exequatur non obtinuerant, & in specie cuidam Cantono Alexandrino.

Quinquagesimoquinto. Ex gratia, seu remissione pœnæ concessa per Oeconomum Turrianum anno 1612. Februarij 15. quibusdam Nouariensis Diœ. Parochis deprecantibus ob ademptam possessionem dictarum Parichiarum absque placito, quod tamen vna cum indulgentia eis concessum fuit.

Quinquagesimosexto. Ex relatione Senatus facta ad decretũ L.T. datum 9. Nouẽbris 1572. super precibus beneficiatorum huius dominij conquærentiũ, quod decimas exigere tentent personæ non suppositæ huic Dominio, in quo legitur vnum ex Senatoribus verbum fecisse cum Subœconomo ante resolutionem negotij.

His innumeri alij annecti possent, qui consulto omittuntur cum satis superque ex his argumentari liceat quæ sint partes Oeconomi in vnoquoq; membro muneris sibi commissi; idque innuunt D.D.[4]

4 Thesau. decis. 131. Frãc. March. decis. 90. & 94 & 101. Põte tit. quis sit iudex nu. 49. Coppinus in Monastico, & alij collecti per Fiscum in allegationibus Oeconomalibus occasione Archiepiscopatus Mediolani vacantis.

Duo obijciuntur huic exercitio Iurisdictionis primum Oeconomum esse tutorem, & seruatorem bonorum Ecclesiasticorum, locum vicesque beneficiati in hac parte obtinere, eiusque personam representare, ideoque iudicare nõ posse in causa propria. Secundum beneficium Ecclesiasticum esse quid spirituale, cuius spiritualitatis laici non sunt capaces, at Oeconomum Regium Principis sæcularis personam gerere, ideoque ei non licere super spirituali decernere.

Ad primum respondetur hanc esse naturam officij, hancque obseruantiam, & inueteratum morem, Oeconomumque non reddere ius in causa propria, cum non agatur de ipsius interesse, iudiciumque recte formari (summarium tamen, & planum veritate, non solemnibus iuris scrupulositatibus attentis) cum Fisco Oeconomali, cum hæredibus defuncti, vel cum colonis ipsis, vel cum depredatoribus sacrilegis, Principumque hoc esse notissimum priuilegium, vt in causa propria ius dicere possint.[5]

5 ... & hoc Tiberius de hæredib. instituendis Pereg. de iure Fisci lib. ... tit. 2. nu. 33. Renatus Coppinus lib 3. Domanij tit. 29 n. 51. Ramonius cons. 3. nu. 68.

Ad secundum respondetur beneficia Ecclesiastica constare ex spiritualitate, & temporalitate, huiusq; postremæ sæculares capaces esse, hincq; & temporalia Ecclesiæ administrare, tueri, & seruare eis non solùm licet, verum iniungitur, vt late Fiscus in suis al-

legationibus

legationibus occasione apprahẽsionis bonorum mensæ Archiepiscopalis vacantis ob mortem Eminentiss. Federici Borromæi probauit; & super possessorio cognoscere, & decernere laicis Iudicibus permissum est,[6] & quotidie practicatur in Mediolanẽsi Senatu.

Ad secundum deueniendo, certissima, & æquissima vtriusq; iuris regula est, per libellum expediri non posse, quæcunq; causæ cognitionem desiderant, necesse est per prius cognoscere quis qualiter, quantum, & quomodo petatur; igitur constare debet de legitimo, seu testamentario hærede de solemni mandato; liquidandaque erit quantitas cum ipsis colonis, & reddituarijs, nec pro petentis arbitrio generalis exequutio oculis clausis contra colonos bonorum Ecclesiasticorum decernenda est, quod si fecisset Oeconomus notissimos cancellos officij sui excessisset, & acri repræhensione dignus esset, pro vt nunc commendatione dignus est, omnium tàm Ecclesiasticorum, quàm sæcularium ore, quæ cum notiora sint, quam in controuersiam reuocari debeant apud viros iuris, & æqui consultissimos, breuiter, & summatim tacta prætergrediuntur.

Superest tertium, in quo de retentione fructuum agitur, nam ex visitatione, & relatione periti legitime deputati constat fundum diuersimode deterioratum, nam, & vendita fuere plura terræ iugera, & syluæ cæduæ funditus extirpatæ sine subrogatione rei fructiferæ, nec pretij restitutione, arbores incisæ, nec in mortuarum locum subrogatæ aliæ, ædificia, & aquæductus æfracta, & ruinata, quæ integra, & refecta tradita fuere, reperiuntur, instructum fundum traditum asserunt coloni, & nunc de facto instrumenta omnia tollere contendunt prætensi agentes, contra iuris, consueti, et æquitatis terminos, nam siuè conductor, siuè vsufructuarius tenentur fundum in eò statu restituere, in quo erat, tempore quo eis fuit traditus: & casu quo proprijs pecunijs empta fuerint instrumenta successoribus in beneficium ex consueto licet offerre pretium, & vbi hæc nondum certo successore perfici non possent, æquitas reciproca expóscit, vt interim rustici eisdem vtãtur instrumentis, quæ ad hunc finem æstimata iam fuere, & merces ad ratam temporis pro vsu, & labore quotidiano expromissa, aliter futurum, vt possessiones incultæ infelices iaceant, cui malo obuiam ire tenetur Oeconomus, nè successor commodo

fructuum

6 Boss. in praxi crim. ti[...] de Principe n. 212. Thesaur. decis. 82. à num. p[...] vbi Thesaur. Iunior. &[...] decis. 131. à nu. 7. Pereg.[...] decis. 145. in nu. 17. Bo[...] rel. de Regis Catholic[...] præstantia cap. 71. nu.[...] 214. & in summa decis.[...] tom. 1. tit. 20. nu. 46. 47[...]

fructuum priuetur, & Ecclesia deterioris fiat conditionis, si squalidum, & infelicem agrum possideat, ijdemque met hæredes occasionem lucri colonis, & reddituarijs subducant in graue ipsorum damnum, quia cessante fructuum commodo debitis eos satisfacere impossibile est, & naturæ lege ad ea, quæ nobis non nocent, & alijs prosunt, facienda compellimur; certissimum est beneficiatum vsufructuario, seu vsuario, quod alij voluerunt æquipararari; [7] *salua igitur rerum substantia eum re aliena, uti oportet* [8] *super quo cautio inuenta est, cui nec renunciari potest, sed quid grauius admissum videtur in præsenti; nam nec alienare, nec damnificare Ecclesiarum bona absque animæ detrimento fas est ex Bulla Leonis I. ann. 447. quæ & est prima in primo Tomo Bullarij ad quam se remisit Concilium Syluanum* [9] *idem & alia Bulla Leonis IX. expresse cauetur, & in Bulla in Cœna Domini vbi scribentes, sacrilegi enim habentur, qui damna hæc inferunt Ecclesijs contra quos ni seuere ageretur, conspirantibus ciuilibus legibus, & criminalibus sanctionibus, breui Ecclesiastici redditus extinguerentur assidua mutatione, & successione beneficiatorum, quibus vti, non abuti liceat: modeste ergo agit Reueren. Oeconomus qui tantum sarta tecta seruare Ecclesiæ bona satagit via retentionis, cum nulla potioritas, vel concurrentia dari possit in hoc casu, inter dominum, & vsufructuarium, locatorem, & conductorem, quia omnia inuecta, & illata, & fructus ipsi obligata sunt manutentioni rei principalis, absurdũ videretur fructus, qui ex re principali procedunt, pro conseruatione proprietatis ipsius non obligari, & liberum esse fructuario in vltimo anno spoliato fundo fraudare Ecclesiam, & successorem,* [10] *hinc legalis hypotheca domino competit* [11] *in omnibus bonis prælati, non secus, ac pro dote, legatis, & oneribus Fiscalibus,* [12] *retentionẽ, & facti remediũ cõpetere, his omnibus quibus tacita hypotheca conceditur, in confesso omnium est, verum cum retentio habeat vim defensionis, & maiori nitatur æquitate, quàm exceptio, competit etiam prædoni,* [13] *& his, quibus non competit actio,* [14] *at in casu nostro non solum hypotheca, & retentio, verũ, & vindicatio datur* [15] *tutius, et securius est rei incumbere quam personæ. nulli enim licet cum alterius iactura, & detrimento locupletari, ideo vtile cum inutile commodum cum incommodo*

compen-

7 Coar. p. variar. cap. 15. n. 12. Barbos. in cap. fin. officij ordin. Pasqual. de patria pot par. p. cap. 3 num. 12.

8 L. p. de vsufructu l 7. c. fin. de pignoribus toto tit. vsufructuarius quẽadmodum caueat.

9 Cap. 5. & toto tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis.

10 Franch. decis. 96. qui loquitur de bonis Ecclesiasticis Surd. decis 277. à nu. 13 & 253. num. 11.

11 L. 5. l. fin. Cod. in quibus causis pign. & toto tit. ff. & C. l certi iuris l. cũ ædificium C. locati.

12 Abbas in cap decernimus nu. 14. de præbendis negusantius de pig. 4. membro 2 par. num. 120.

13 Hodierna ad Surdum decis. 294. à nu. 30.

14 Late Molin. in hoc trac. Franch. decis 104 à n. 4. plures allegans, Surd. decis. 277. à num. 13. & 253. nu. 11. Sebast Medic. de comp. par. 2.

15 L. etsi vsumfructum 7. ff. vsusfructuarius quẽadmodum caueat.

compēsantur.[16] *Nec obstat axioma vulgatū, quod obijcitur, Oeconomo liquidum pro illiquido retardari non debere, quia nec in facto, nec iure subsistit, cum damna sint iam liquidata æstimatione peritorum, & quia hæc exceptio non habet locum in notorijs, vel in his, quæ patent ad sensum corporeum,*[17] *& quia etiamsi facta non esset liquidatio absque ambagibus, & mora incontinenti fieri potest, super quo Iudex arbitratur.*[18] *Tandem, quia canonicæ sanctiones refragantur, quibus cauetur prouidendum esse Ecclesiæ absque aliqua oppositione.*[19] *Minus obstat secunda oppositio, oblatæ nempe, & forsan præstitæ fideiussionis, quia retentio non cessat, nec tollitur data fideiussione.*[20] *Ex quibus Reg. Oeconomum intra cancellos muneris sui secundum legum, et sacrorum Canonum dispositionem Ecclesiæ bona in gratiam Ecclesiastici Ordinis defendere, & seruare patet, verum vbi hæc festinanter taxatis horis (vt fit in Fiscalibus) scripta non satisfecerint, Fiscus excitatus plenius dubbia, & hæsitationes tollere, & confutare sataget. Mediolani 5. Maij 1634.*

16 Sebastianus Medic. p. 1 q 45.

17 Dominicus in c. si fortè de electione in 6. num. 10. Felin. in cap. ex parte 2. nu. 7. eod. tit. Bur de coh abit. Cler. ex pificatur in Se Consulto Vellesa Macdoniano n tus, & sexus pat

18 Menoch de arbitr. te, quem refert, & seq tur Medic. de cōp. par 1. q. 13

19 C. Epi pi 4 de ebus Eccles non alienatis.

20 Molin. at. d. tract. Ruin. cons. 84. vol. p. Gozad cons. 100. nu. 21. Sebast Medic. de compen. par 2. q 16. nu. 14.

Arias Aduoc. Fisc. Gen. & Decanus.

Coar. p. va
n. 12, Bat
officij o
de patr
3 nun

I